



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Vt poenitentia quæ dilata est, cùm petita fuerit non negtur. cxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

inde ad Ecclesiam culpam referens, si necesse fuerit, & quanto tempore fuit, tanto pœniteat.

*Quòd non liceat diacono, alicui dare pœnitentiam.*

Caput CXXII.

*Ex pœnitenti-  
Romano.* **N**on licet diacono alicui dare pœnitentiam: sed episcopus, aut presbyter dare debet.

*Vt pœnitentia quæ dilata est, cum petita fuerit non negetur.* Cap. CXXIII.

*Ex decre.  
Leonis pœ,  
ca. 22.* **D**issimulatio hæc potest non de contemptu esse remittendi, sed de metu grauius delinquendi, unde pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit non negetur, vt quoquomodo ad indulgentiæ medicinam animæ vulneratâ perueniat.

*De illis qui despiciunt eos qui fideliter agapas fecerint.*

Caput CXXIII.

*Ex cõcil.  
Gangrẽ.  
cap. 11.* **S**i quis despicit eos qui fideliter agapas, id est, conuiuia pauperibus exhibent, & propter honorem Dei conuocant fratres, & noluerit communicare huiuscemodi uocationibus, paruipendens quod geritur, anathema sit.

*De illis qui dicunt se non habere peccata.*

Caput CXXV.

*Ex cõcil.  
Africa-  
no, ca. 7.* **I**tem placuit, vt quod ait sanctus apostolus Ioannes: Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat propter humilitatem non oportere dici nos non habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim, & adiungit apostolus: Si autem confelsi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate. Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici: poterat enim apost. dicere: Si dixerimus, non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait: Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est: satis ostendit eum qui dixerit se non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

*De illis qui dicunt sanctos in oratione dominica, dimitte nobis debita nostra, non pro se sed pro alius dicere.* Cap. CXXVI.

*Ex eodẽ.  
cap. 71.* **I**tem placuit vt quicumq; dixerit in oratione dominica, ideo dicere sanctos: Dimitte nobis debita nostra, vt pro